

ras ad Pimpinellam, aut ad novum genus. In umbellatis oro delinees fructum horizontaliter s. transverse dissectum.

Loranthus europaeus. Mirum tam altum silentium hujus apud Europaeos Botanicos. Tua haec gloria. Silphii semina gratissima erant. Habeo antea Silphium laciniatum, Silphium perfoliatum et aliam speciem Silphii perfoliati simillimam, caule hispido, nec tetragono. Mihi quondam descripsit D. Zoega aliam speciem, quam non rite intellexi, quae procul dubio eadem cum Tua erat.

Prenanthes vimineae semina etiam nuper habui ab Altonio, adeoque spero me habiturum ex alterius semine plantam desideratissimam, quam semel vidi in Belgio.

Ad Scorzoneram hodie regerere nequeo, cum habeam tuas icones et missas plantas in praedii mei museo per 1¹/₂ milliare remoto, hodie solvuntur nives ut nullus poterit proficisci.

Cum jam in eo estis ut edatur dispensatorium Viennense, pulcherrimum foret videre catalogum simplicium plantarum, tantum nominibus trivialibus recensitum; forte tum possem aliquid monere aut interrogare.

(Sine die. Notatur manu Jacquini: R. 8. Julii 1772.)

62.

Vir Celeberrime!

Grates immensas reddo pro seminibus Drypis.

Adonis apennina certissime Tua est, quam in horto alo, non minus quam simillimam A. vernalem.

Lota. Laetor immense quod haec planta accessit in Europam. Dedi duobus in commissis qui ascendunt Caput b. Spei, quod mihi hanc plantam procurarent.

Nullibi ego ejus figuram vidi. Gubernator C. B. Spei